N. Inv. 5038.

Magistratus Amplissimi et Illustrissimi!
Collegae Doctissimi et Celeberrimi!
Auditores caeteri Ornatissimi atque Humanissimi

Festivum certo celebraturi diem, ingredimur hoc litteris et artibus liberalibus dicatum et munificentia regia exstructum sanctuarium, in quo summi in jure honores prima vice hodie petuntur ab Romualdo Hube, olim discipulo, ~~nunc~~ inpraesentiarum collega nostro carissimo. Jure optimo laetamur, dum grato in Deum O. M. animo et pia mente hanc solemnitatem renuntiemus, haud parva est etenim temporis felicitas, cum ~~[illegible]~~ docti et honesti munus publici professoris debito modo ambiant et de summa honoris palma contendere audeant, ut ex omni

parte absoluti et perfecti recte fungantur gravi officio, non solum legibus, sed honestati quoque plane satisfacturi.

Bene Julianus Imperator monuit: quae in magistro vel doctore Studiorum requirantur pro bono publico, F „Magistros Studiorum, (in haec verba loquitur „Imperator *) doctoresque excellere „oportet moribus primum, deinde „facundia. Sed quia singulis civita„tibus adesse ipse non possum, „jubeo: quisquis docere vult, non „repente nec temere prosiliat „ad hoc munus, sed judicio „ordinis probatus, decretum „curialium mereatur, optimo„rum conspirante con-

F quae in conferendo munere sint observanda.

* in l. 7. (lib. X. tit. 52.) C. de professoribus et medicis.

„sensu.‟ Videamus jam, quatenus huic sapienti praescripto a nobis et a candidato et collega nostro obtemperetur.

Romualdus Hube, natus Varsaviae a. 1803., prima litterarum rudimenta cepit, cura optimi parentis, in scholis Dresdensibus, Varsaviensibus, ac Cracoviensibus, quibus mature, jam a. 1818. absolutis, dedit se totus ~~juris stu~~ jurisprudentiae studio in regia litterarum Varsaviensi universitate, in qua, triennio praeterlapso, a. 1821. adeo totum hujus acroasis ordinem devinxit sibi diligentia literarum, probitate morum, modestiaque, ut, tanquam praesagio ducti, eundem magis amicum, quam discipulum, suma

cum laude, unanimi consensu laoque agnita, dimiserint. Non subsistens in theoretica juris cognitione, praxin quoque ejus modo et tempore legibus definito cognoscere in judiciis minime neglexit, quod examine iterum rigoroso bene probavit. Cum autem Lublinensi tribunali, assessorum numero, adscribendus vocaretur, praetulit utile dulci, privato enim commodo, ac dignitati oblatae, publicam utilitatem futuram ac majorem sui perfectionem. Quare non accepto munere assessoris judicii Lublinensis, quod ei offerebatur, abiit Berolinum,

quo per totum fere biennium jurisprudentiam et philosophiam summo ardore colebat, celeberrimorum antecessorum familiaris et amicus. Reversus dein in patriam, dum fausto omine juris cathedra vacabat, in nostrum ordinem adlectus communi honestorum quorumvis laetitia et suffragio. Ab a. 1825. instituens juventutem exponit historiam juris, qua neglecta ~~deficiente~~ artem nostram valde incertam et mancam esse, praeteritorum seculorum experientia docuit. Quomodo noster Hube in hoc munere versetur, qua animi probitate in nos, quo zelo in discipulos agat, taceo,

ne quis obiiciat malevolus:
me adulatorum morem se-
qui. ~~Meminisse~~ Silentio praeterire tamen non licet:
eum Ulpiani fragmenta,
Caiique Veronensis commenta-
rios, nostris in oris primum
edidisse, bene gnarus, quanti
sint momenti, et quam valde
adjuvent perfectiorem juris-
prudentiae cognitionem. Quo
facto bene consulens propriis impensis, haud modicis, utilitati publicae, minime proprio commodo, paravit sibi monu-
mentum aere perennius, quod
memoriae et imitationi fu-
turorum seculorum servan-
dum meminisse magnopere juvabit.
Quid plura referam?
Sane judices adestis aequi et

probi, nostrae accedere senten-
tiae parati. Una nobiscum
ad mentem Juliani Impera-
toris velitis agnoscere, rogo,
optoque: non repente, nec
temere Romualdum Hube
prosiluisse ad munus, sed
recte eundem judicio et con-
spirante consensu antecessorum
ordinis probatum fuisse, ac
non solum curialium, sed et
exterorum decretum, meruisse:
ut summos in jure honores
nanciscatur, nosterque jam
pleno jure evadat collega.

Non est, cur vos moror!

B

Licet jam suffragia ferre,
in nostramque partem ~~[illegible]~~
dexer ire, praevia disputa-
tione, ad quam ineundam
hilari vultu vos invi-
tare, meum esse video.

Licet omnibus tua vita, huiusque acta, abunde persuadeat de Tua cura literarum futura, haud remittenda, lex tamen imponit mihi necessitatem: ut publice in hoc augusto consessu Tecum paciscar, ex Teque solemniter quaeram: num spondeas: Te omni vi et per totius vitae tempus curaturum jurisprudentiae studium et augmentum. Si hoc spondes, stipulata manu firma sponsionem.

Auctoritate privilegiorum ab Alexandro I. Imperatore et rege nobis concessorum, ego J. V. Bandtkie, h. t. Decanus ordinis JCtor., Te Romualdum Hube J. V. Doctorem creo et renuntio.

Accipe annulum in signum honoris, quem rite adeptus es, atque in memoriam tuae sponsionis.

Ad th. II.

De castellanis, de ~~[illegible]~~ vi foeminis illata deque clamore observando ab ea in tridio, de calumniosa vituperatione nobilis vel matris ejus, redolent nimium juris Germ. originem, nec aliunde deduci possunt.